



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Ereptiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Precarium Hubæ in VVinkchel.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

promissum concordauimus talimodo, vt tunc, hoc est in quolibet tertio anno immediate illius prati, quædam pars eius tunc fossis & lapidib. terminate distincta singulis annis custodiri debeat & falcari: illa verò pars prati quæ ab inde versus occidentem extenditur, & illa quæ à prædicto limite vergit ad orientem, tunc quando sicut prædictum est ager vtriusque villæ sine cultura iacent, ad ambarum villarum pascua debeant pertinere. Hoc excepto vel superaddito, vt quando quædam pars agrorum de *Vvinzzensing* versus occidentem iacuerit cum cultura, tunc illi homines de *Munichdorf*, vltra stratam publicam cum suis pecoribus pascua nõ requirent. Et ne præfati homines de *Munichdorf* & de *Vvinzzensing*, ad Ecclesias *Altach*, *Osterhouen* & *superius Monasterium* pertinentes, supradictam diffinitionem siue compositionem excedere vel irritare præsumat, sigilla prædictorum Dominorum vid. H. Abbatis de *Altach* & Chr. Præpos. de *Osterhouen*. & Abbatissæ *superioris Monasterij Rat*: ac etiã Domini *Alberti* nobilis de *Hals* ad robur & testimonium omnium prædictorum huic paginæ sunt appensa, quorundam nihilominus testium nominibus subnotatis: Testes *Altmannus* de *Winzler*, *Hugo* de *Rotenmann* iudex tunc, *Heinr.* de *Heiming*, *Heinr. Gauman*, *Rudigerus* Iudex de *Osterhoue Vlr.* & *Götpoldus* de *Otmaring*, *Heinr.* de *Oetling*, *Leutpoldus*, *Alhard*, & *Paltrvinus* de *Aeming*, *VVernhardus* de *Sähsing*, *Heinr.* de *Auerbach*, *Eberhardus* de *Mulbaim*, *Chunr.* Official de *Puehouen*, *Egno* villicus de *Monichdorf*, & alij multi. Actũ in vigil. S. *Margarete*, anno Domini M. CC. LXIX. Amen.

Precarium Hubæ in *VVinckhel*.

Omnibus Christi fidelibus præsentibus pateat, quod quidam Colonus Ecclesiæ *Osterhouen*, Hubam quandam eiusdem Ecclesiæ dictam in *VVinckhel* quã hæreditario iure ab Ecclesia possederat irrequisito & inconuulso Conuentu Domino *Rapoto* de *Ezzenbach* vendidit, quam ille subter eodem iure liberis suis reliquam & ipsi eandem, hubam cuidam *VVrico* dicto de *Runting* in feodo contulerunt. Verum cum Colonus Ecclesiæ hubam præfatam, nec vendere nec alienare potuisset ab Ecclesia, prædictæ Ecclesiæ rectores tam diu ipsos coram iudicio seculari conuenerunt, donec testibus idoneis comprobauerunt quod præfatus *VVricus* & dominus *Albero* de *Ezzenbach* quem collatorem sui feodi memorabat, nihil iuris in eadem huba haberent, sed quadam violentia possederunt. Postmodum verò dominus *Rapoto* prædictam Ecclesiam super eadem huba impetiuit, sed mediante consilio domini de *Hals* & aliorum honestorum virorum, hac conditione prædictam causam terminarunt, vt datis XII. solitis præfato *VVric.* dominus *Rapoto* vna cum hæredibus suis & *Vlr.* cum hæredibus suis omni iuri quod in eadem huba se fatebantur habere penitus renunciarent, quod & fecerunt præsentibus domino de *Hals* & domino *Al.* de *Rotarve* & sigillorum suorum munimine roborantibus abrenuntiationem superius memoratam. Ne autem in posterum super prædicta causa Ecclesiæ *Osterhouensi* aliquod scrupulum dubietatis oriatur, præsens scriptũ sigillis domini de *Hals* & domini *R.* de *Ezzenbach*, & Domini *al.* de *Rotarve* munitum eidem est Ecclesiæ assignatum. Testes *Fridericus* de *Eglolsheim*, *Leupoldus* de *Ekharting*, *Hilprandus* Iudex de *Griez pach*, *Chunr.* de *Poppenperg*, *V Vernberus* *Pincerna*, *Frid.* de *Sigenheim*, *Rugerus* *VVetzel* & alij quam plures. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. LXX. Idus Septemb. Indictione XIII.